

549

4. Ubi dicitur poena satisfactoria, vel satisfactio, Deum placare, divinam iram avertere, Deum benevolum reddere, ~~namque~~ facere ut quiescant irae caelestes, duplex esse potest dicti intelligentia.

Primo modo, quasi assignaretur causa divinae voluntatis, ut Deus propter hoc vellet illud; alio modo, ut dicatur ordo eorum quae Deus unico voluntatis actu et vult et inter se ordinata vult. Et primus quidem modus a S. Thoma reprobatur, alter autem explicatur, Sum. theol., I, q. 19, a. 5: "Vult ergo hoc esse propter hoc: sed non propter hoc vult hoc."

Quod non aestimari debet mera subtilitas theologica, si quidem ~~mixta~~ et verum est et, ubi praetermittitur, etiam ~~non vult~~ praetermitti solet quod in scripturis clare docetur.

Ita enim Deus placatur et benevolus redditur et divina ira avertitur et quiescit, ut tamen ~~namque~~ verum est quod "ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris," (1 Io 4, 10.19), et "Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum" (2 Cor 5, 19), et "Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo" (Eph 2, 4.5), et "Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est" (Rom 5, 8).

Plura in Litt. Encycl., "Haurietis aquas," AAS 48<sup>1</sup>(1956), 309-353; ubi finis esse videtur "ut Divinum Amorem amore nostro redamemus," p. 311. Vide S. Augustinum de pari amore et Patris et Filii erga nos peccatores, De Trin., XIII, xi, 15; ML 42, 1025.

3. Dupliciter dicitur quod (1) divino iudicio oportet aliquem pati, (2) redintegratur ordo divinae iustitiae, (3) reparatur divinae iustitiae ordo violatus, (4) divinae iustitiae satisfit, (5) expiantur peccata, (6) fit compensatio pro peccatis debita, (7) debitum pro peccatis solvitur, (8) solvuntur poenae, (9) dantur poenae, (10) debita poenae exsolvuntur, (11) et si quid aliud huiusmodi.

Nam alia est venia ex castigatione, et alia est poena ex damnatione; alia est perversitatis spontanea satisfactio, et alia est a non satisfaciende poenae exactio; alia est poena sine ~~pen~~ paenitentia uti in daemonibus perspicitur, et alia est poena satisfactoria quae in Christo Domino et in sanctis invenitur; alius est diabolus caput malorum, et alius est Christus, caput corporis sui, qui a iugo diaboli nos liberavit.

Iam vero omnia sunt secundum illam divinam iustitiam, quae est ordo divinae sapientiae a divina bonitate electus, a divina providentia intentus, a divina gubernatione productus, et in ipsis rebus ut ordo universi inventus.

Sed non omnium est una ratio, si quidem aliud dicit divina praedestinatio, et aliud divina reprobatio, et aliud lex aeterna, quae tamen omnia ad Deum sapientem et iuste eligentem reducuntur, secundum quod bona quidem directe vult Deus, et mala naturalis defectus malaque poenae indirecte ~~vult~~ vult Deus, et mala culpa nullo modo vult Deus sed permittit tantum. Cf. praenot. VII et VIII; X Theol. Stud., 3(1942), 541-552.